

AB

128576

Oos

✓

# INTERPRETATIONIS


ROM. I. VS. 3. 4.

## NOVVM TENTAMEN

PROPONIT

M. CHRISTIANVS SAMVEL RÜGERVS

AD AEDEM S. MICHAELIS QVAE CIZAE EST DIAC.



---

LIPSIAE,  
LITTERIS SOMMERIANIS  
CICIOCCXC.

ANNALES

MEMORIAE ET VITÆ

EDITIONIS

ANNALES ET VITÆ

L 199

VIRO MAGNIFICO

AC SVMME VENERABILI

D. CAROLO LVDOVICO  
NITZSCHIO

ITEMQVE

V I R O

SVMME REVERENDO

M. CHRISTIANO GOTTHELF  
KVFERO

NOVA MVNERA AVSPICATVRIS

S. P. D.

M. CHRISTIANVS SAMVEL RÜGERVS.

KIRIO MAGNIFICO

SA CLETA ALMADA

D. CAROLO TUDOVICIO  
NITSCHO

171502

X I R O

EVANIE BRAESENS

W CHRISTIANO GOTHELI  
KAPERO

NOV 14 1715 ALMADA

3 3 5

W CHRISTIANO GOTHELI - KAPERO

*Benevolentiae ac fauoris documenta S. V.  
NITZSCHI erga me, per omne  
illud tempus, quo mihi licuit esse tam felici, Tua con-  
fuetudine frui, tanta ac tam cara semper extitere, ut  
in discessu Tuo, nulla res maius mihi solatium afferat,  
quam dignum illud meritorum Tuorum, quo iam orna-  
ris, praemium. Dum viuam semper Tui, et animi,  
quo erga me affectus eras praeclari, iucundissima erit  
recordatio. Accipe hoc monumentum, leue quidem,  
sed gratia tamen in Te animi, certissimum pignus, ea, qua  
soles humanitate; simul quoque, quamuis locum mutes,  
fauorem tamen animumque in me benevolum, serues im-  
mutatum, non solum opto, sed etiam confido.*

A 3


Tu

Tu vero S. R. KUPFER! qui iam in munera  
et honores Fautoris mei hinc discedentis succidis, ut et  
in eius amoris et fauoris erga me, vices succadas, iactu-  
ram tristem illam resarcias et dolorem spe humanitatis  
Tuae lenias, maxime in votis habeo. Quidni igitur  
a Te optima quaeruis sperem, qui opinionem de Te con-  
ceptam non aluisti solum sed etiam superasti?

Deus benigne annuat coeptis Vestris grauissimis,  
vires vitamque suppeditet iucundissimam, eamque Vobis,  
Reipublicae, Ecclesiae, Vestris quibus faustissima quae-  
vis eueniant, denique et mihi diutissime conseruet. Ego  
vero, ut omni pietate et officio Vobis satisfaciam,  
amoreque Vestro non plane indignus reperiari, omnem  
operam nauabo. Valete, Dabam Cizae mense Jun.

CICIO CCXC.

In locis Scripturae S. iis, quae varias semper variorum  
experta sunt interpretationes, reperitur in primis ille,  
qui est capite primo commate tertio et quarto in ad Romana-  
nos epistola. Siue enim argumentum ipsum, siue verbo-  
rum singulorum vim aliquis spectet, multis, magnisque  
laborat difficultatibus. Est haec proprietas quaedam non  
solum brevitas Paullinae, verum etiam eius dicendi ra-  
tionis, vt, nisi quis ad seriem orationis ab eo propositae  
animumque eius subinde feruidiorem: nunc rem pertra-  
ctandam vberius, breuiter tantum attingentem, nunc  
multa, vt vocant, media orationis membra interponen-  
tem, nunc finein periodorum vel omittentem plane, vel  
eum praemissis suis non apte satis nectentem, semper respi-  
ciat diligenter, in magnas incurrat difficultates, necesse  
sit. Accedit et hoc Paullinarum epistolarum interpretatio-  
nis impedimentum, quod ei commune est cum omni epi-  
stolarum arguento, non omnibus omnino, sed iis tan-  
tum noto et perspecto, quibus inscribitur epistola. Maxi-  
mam vero crucem interpretibus imponit verborum vis et  
potestas, quibus vtitur Paullus, ex Hellenistarum, Grae-  
corum et Hebraeorum dictione conflatorum, nec ab ullo  
allo scriptore praeter apostolum sic usurpatorum. Quae  
cum ita sint, nemini videbitur mira interpretum illa varie-  
tas, saepe numero ex suis iudiciis et opinionibus praecon-  
cepitis sensum dimetientium. Ex hoc quidem genere vo-  
cabula σαρξ et πνεῦματος cum in reliquis apostoli scri-  
ptis, tum in primis nostro in loco esse, quotusquisque est



qui nesciat? Namque his verbis subiicienda erat vis quae-dam, quae quidem adhuc iis nondum fuerat frequens et solemnis. Ut enim quemuis de re noua, et adhuc inau-dita vel loquentem vel scribentem, nisi velit verba plane noua inuehire, omnino oportet vocabulis iam vñ receptis nouum tribuere sensum; similiter et Paullum fecisse in loco laudato satis constat. Ex his facilius apparebit, cur Apostolus pro diuersitate temporis et ingenii, varios quo-que quamuis non semper idoneos nactus fuerit interpretes. Erant enim inter antiquiores, qui linguae hebraicae parum gnari e. g. Augustinus et alii, ingenii tantum lubidinem seuererentur in interpretando. Erant recentioribus tempo-ribus, qui sibi religioni ducerent, si Paullo vt diuinitus loquenti atticum saltem bene graecum scribendi genus, denegarent, quod pie magis quam diligenter, Georgium theogum quondam Vitebergensem fecisse accepimus in libello eo, quo data opera Noui testamenti scriptores ab hebraisimis purgare conatus est. Sed quem sensum, vt alia taceam, *σαρκός* et *πνεύματος* notio dabit, si ex scriptorum bene graecorum loquendi vñ eum eruere velis. Post illos vero clarissima ingenia operam suam interpretationi Paullinae successu longe feliciori impendisse, grato erga Dei prouidentiam animo agnoscent omnes, quibus legitima sacrarum litterarum interpretatio curae cordique est. Quorum in numero cum videam Grotium, Erne-stium et nostra aetate S. S. V. V. Tittmannum, Morum, Koppium et alios, ad quos omnia, quae in sacrorum libro-studio profeci, lubenter refero; fortasse multis ingratum videar suscipere laborem, qui post tanta nomina meam qualemcumque operam hisce litteris publice dicare, et quod audacissimum videri possit, novam adeo loci laudati au-deam tentare explicationem. Evidem, etsi non eram ignarus, quam pericolosum esset in via, quam doctissimi viri oculis acutissimis iam sunt ingressi, noua quaerere, semper tamen statui, viam quae dicit ad veritatem patere omni-

omnibus, et esse ingenii seruilis ibi acquiescere, vbi aliqua auctoritate nisi possimus. Cur legeremus ipsi, cur a summis viris aliorum studia excitarentur, si capitale crimen esset ab eorum opinionibus subinde discedere? Hoc igitur tali cum animo, non autem temere nouandi cupiditate, iam in rem veniamus praesentem.

Iuuabit tamen, ante omnia clarissimorum virorum quos mihi quidem adire licuit, super hoc loco sententias praemittere. Id quidem duplici consilio; partim, ut uno quasi obtutu conspicere possimus sententiarum varietatem, partim ut illorum et nostrae interpretationis commodior fieri possit comparatio. Ac quod primum ad patrum, nominatim Chrysostomi et Theodoreti et veterum plerorumque attinet explicationes, videntur illi quidem vnanimi consensu πνεῦμα ἀγιωσύνης accepisse de spiritu sancto, vel de donis eximiis, quae per effusionem spiritus post tempora Christi in Apostolos sint collata. Sufficiat ex pluribus vnum attulisse Chrysostomi locum, qui Homil. I. in epist. ad Rom. cap. I. pag. 8. edit. Commelin. hunc in modum: τέταρτον, ἀπὸ τῆς πνεύματος, ὃ περ ἐδίδε τοῖς πιστεύοντις αὐτὸν καὶ διὰ πάντας ἀγίους ἑπότε, διὸ Φρτι, κατὰ πνεῦμα ἀγιωσύνης. Θεοὺς γαρ οὐ μόνο τὰ τοιαύτα δῶρα χαρίζεοθαν. Habere hanc interpretationem magnas difficultates infra apparebit. Quod attinet ad Grotium, cuius egregia in re exegetica, in primis nostra aetas agnoscere coepit merita: ille πνεῦμα ἀγιωσύνης de vi div. intelligit, per quam Christus ab initio conceptionis sanctificatus fuerat; putatque, opponi, h. l. κατὰ σάρκα et κατὰ πνεῦμα quomodo de eodem opponantur ἐξ αὐτούς et ἐκ δυνάμεως, 2 Cor. XIII. 4. ita quidem, ut Christus ostendatur nobilis ex materna parte, vt pote ex rege terreno ortus, sed nobilior ex parte paterna, quippe a Deo factus rex coelestis post resurrectionem Hebr. V. 9. Aliam nostri loci interpretationem hoc

A 5

nostro

nostro seculo Ernesti ὁ πάτερ denuo in lucem protulit et commendauit, permultis ad hunc vsque diem probatam et acceptam. Progreditur ille paulo longius et argumentis non contempnendis demonstrat, sermonem in loco laudato esse, de humana divinaque natura Christi, quae inter se inuicem sibi opponantur et quidem sic, ut κατὰ σάρκα descriptionem humanae, πατέρα πνεῦμα ἀγιωσύνης vero diuinæ eius naturæ contineat: quam quidem sententiam partim ex legibus oppositionis partim ex usu loquendi probabilem, reddere cupit, siquidem πνεῦμα ἀγιωσύνης idem quod Ebr. IX. 14. πνεῦμα αἰώνιον denotet, ἀγιωσύνη autem commode cum latinorum sanctitate comparari possit, quae non integratatem solum sed et maiestatem significet. Eadem sententiam permultis Ernestianaæ disciplinae alumnis ad hunc vsque diem arridere vidi. Sed graues ob leges exegeticas recentiores quidam viri celeberrimi ab hac sententia discedunt. Sic. e. g. S. V. Koppius ad hunc locum dicit: utrum πνεῦμα ἀγιωσύνης una eademque vis div. sit illa, quae in prophetis Apostolisque, et hæc, quae in Iesu ipso eiusmodi miracula patraverit; an vero in illis Spiritus, quem πατέρα ἐξοχὴν dicimus sanctum, in Iesu vero, natura ipsa diuina, ab isto spiritu diuersa sit intelligenda, ex hoc saltem loco vix effici poterit. Neque enim ex opp. κατὰ σάρκα quicquam consequitur nisi hoc: οὐδεὶς τι, in homine vulgari non obuium eo significari. Rursus aliam sententiam amplectitur S. V. Doederlein instit. theol. christ. Part. II. pag. 227. qui per πνεῦμα ἀγιωσύνης vitam illam beatiorem, sanctam, inuiolabilem intelligit cui Christus post resurrectionis tempora fit destinatus, ita enim vocem: ὅρισθεις εὐ δυνάμεις ἐξ αναστάτεως νεκρῶν accipit. Alii aliam amplectuntur sententiam. In maxima tamen interpretum varietate fere omnes conuenire in eo vidi, ut subiectum in κατὰ σάρκα et κατὰ πνεῦμα ἀγιωστ. vel ad Christum vel ad Spiritum S. referant.

Equi-



Evidem, cum nouum tentamen loci grauissimi sustinuerim, non alienum a consilio, quin potius officio quodam me obstrictum esse arbitror, iam nunc, quamvis breviter tentum, demonstrare, qualemcunque sequamur auctoritatem, ita comparatas esse interpretationes in medium prolatas, ut dubitationes haud leues adhuc supersint. Alioquin vel huius adeo tentaminis mei professio ipsa ab omni suspicione laboris ingrati et inutilis, quem fortasse multis fulcepisse videar me non omnino liberare poterit. Quod igitur attinet ad opinionem eorum, qui πνεῦμος ἀγιωτόντος de spiritu f., de vaticiniis, quae eo instigante sunt edita, eiusque vi sanctificante accipiunt, non satis diligenter videntur rationem habuisse oppositionis eius, quae omnino h. l. regnat: ut recte monuit Koppius ad hunc locum sic: Qui vertunt νατὰ πνεῦμα ἀγιωτόντος secundum ea, quae Spiritus S. praedixerat, absque necessitate tollunt nexum propositionis utriusque νατὰ σάρκα et νατὰ πνεῦμα. Quam vere et recte hoc monuerit vir egregius, quis non videt? Liecat tamen addere et hoc: qui ita vertunt, frigidum loco inferunt sensum. ἀνάστασις enim quae erat in facto posita, propter hoc factum insigne et in sensu incurrens, longe grauius et vberius Χριστὸν ὄρισθεντα νίον θεον demonstrabat, quam vaticinia illa de ea re, ut negari non potest, obscurius edita. Vitant quidem hoc vitium omnes ii, qui diuinam humanamque naturam Christi sibi hoc loco opponi, nos docent, sed e contrario nouas quoque grauissimasque mouent dubitationes. Primo quidem ut mihi videtur, haec sententia pugnare cum modestia et cautione ea videatur, quam Apostolus aliis in locis et fere ubique in tradendo dogmate de diuinitate Iesu, adhibere solebat. Quomodo enim fieri poterat, ut ille, qui bene memor, se coetui christianorum recens e Iudeis et gentilibus creato scribere, quorum illi quidem ut historia Evangelica <sup>a)</sup> luculentter

<sup>a)</sup> cfr. Marc. 2, 7. et Ioh. 10. 33.

lenter docet, nulla re magis offendebantur quam diuino honore, quem sibi adfiscere videbatur Messias; hi vero, dogmate hoc grauiissimo intempestive et temere proposito, ad pristinum errorem vel doctoribus christianis hunc honorem b) more suo tribuendi, facile delabi potuissent; quomodo, inquam, fieri poterat, vt ille, qui alias semper cum in vita, tum in tradenda religione c) cautissime apud istos homines versabatur, iam nunc consulo rixis ansam praebiceret. Porro haec explicatio ob usum loquendi et sensum ipsum, in magnas incurrit difficultates. Nam *σάρκα* et *πνεῦμα* *ἀγιωσύνης* in tali verborum collocatione diuinam et humanam naturam Christi innuere, facilius quidem creditur quam demonstratur. *Σάρξ* quidem humanam naturam denotare posse, facilius demonstratu erit; vtrum vero *πνεῦμα* *αγιωσύνης* tam faciliter de diuina natura dici possit vehementer dubito. Saltem interpres fere omnes, quos adire mihi licuit, usum loquendi hunc definientes et cum dictione Paullina conciliantes, mire se torquere vidi: nemo enim indubitatis, saltem idoneis argumentis ad hunc usque diem demonstrare ausus est, inesse voci *ἀγιωσύνης* diuinitatis notionem. Qui enim cum vocabulis, vt dicunt, aequipollentibus e. c. *αλάριον*, *ἀγιον* et hebr. *רוּחַ*, vel *עֵ*, vel *שְׁרָקָ*, permutant *ἀγιωσύνην*, ingeniose id magis quam vere faciunt, cum, vt inferius dicendi locus erit, *ἀγιωσύνη* quoties occurrit apud Paullum, nunquam de maiestate div. sed solummodo de vita, moribus, sensibusque per religionem christianam et nominatim per Spiritum S. emendatis, usurpetur: quod et ipsi interpres, quo liberaliores sunt, ingenue profiteri non dubitant. Haud leuior difficultas cum hac interpretatione coniuncta est, si ad sensum respicias ipsum. Quid enim, quaeso, hoc sibi vult: Christus, quod attinet

ad

b) vid. Actor. 28, 6.

c) 1. Cor. 9, 20, 21, 22, 23.

ad eius naturam diuinam Dei filius declaratus est per etc. Nonne statim nexus desiderabimus? Quomodo ex diuina natura Christi Dei filius demonstrari poterat? Quid hoc esset aliud, quam rem claram ex obscuriori deducere? Christum esse Deo insigniter carum, Dei cultorem, vel Messiam egregiis donis instructum (ἱὸν θεός) inde ex tempore eius reditus in vitam, res erat, Christianis eius temporis notior: sed quomodo ex diuina natura Christi, quae plerisque Iudeochristianis nondum erat satis cognita et perspecta, colligere potuissent, Christum esse ἄριστον ταῦτα νίον θεός. quaerere omnino licet? Quod idem Rosenmüllerum in scholiis ad hunc locum notasse laetor. <sup>d)</sup> — Denique nec recentiorum quorundam opinio, σάρκα per sortem Christi viliorum, πνεῦμα autem nobiliorem, perfectiorem, augustiorumque interpretantium, adeo omnibus numeris absoluta et perfecta esse videtur, ut non graves adhuc supersint dubitationes. Manet enim et hic eadem difficultas: quomodo πνεῦμα ἀγιωτύντος, si fors augmentior reddatur, cum vsu loquendi et cum vi vocabuli ἀγιωτύντος in N. T. obvia conciliari possit. Adeo Noesseltum, virum in hoc litterarum genere incomparabilem, quem eandem interpretationem in preelectionibus suis proponentem meimini profiteri ingenue: „πνεῦμα „ἀγιωτύντος vel si tribuatur ei hic sensus, tamen habere „inustati aliquid et obscuri“ — Neque hoc solum, sed antecedens quoque oppositum κατὰ σάρκα γενόμενος ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, non quadrare satis ad oppositum alterum mihi videtur. Nam etiā σαρξ sortem humiliorem denotare posse non negauerim, utrum tamen apostolus hanc sortem Christi vilem describendi causa ortum eius e stirpe Dauidica addiderit, vehementer dubitauerim, cum in

d) Eius verba sunt: Ego quidem non intelligo quid sit: Christus manifestatus est filius Dei, per naturam suam diuinam, vel manifestatem diuinam.

in promptu sit, memoriam Davidis vel eo tempore tanto in honore fuisse, ut pugnantia secum, Apostolus compo-  
suisse videatur, si conditionem Christi propterea vilem di-  
cere voluisset, quod e gente tam nobili duxisset originem.  
Saltem Horatium, Maecenatis sui laudes, splendorem et  
dignitatem carmine prosecuturum, honoris causa alloqui,  
sic accepimus:


Maeceenas atavis edite regibus! —

Igitur nec exspectandum videbatur, vt Paullus originis e gen-  
te tam praeclara mentionem faceret, cum de conditione hu-  
mili Messiae loqui vellet. Sed videor profecto enarrandis  
variorum sententiis, coniunctisque cum illis difficultati-  
bus diutius iam immorari, et reticenda hactenus mea qua-  
licunque super loco grauissimo sententia, nimium detinere  
lectores. Facile quidem suspicor, fore permultos, qui  
et meam interpretandi rationem multis laborare difficulta-  
tibus autument, et nouae lucis aliquid me intulisse loco  
fortasse negent. Sed tamen licet tentanti argumenta  
maxime probabilia in medium afferre; ante omnia vero,  
breuem loci totius praemittere expositionem.

Equidem in loco ipso et nominatim in verbis *κατὰ τὰ σάρκα* et *κατὰ πνεῦμα* subiecta permutanda esse, et  
propterea non Christum, sed homines eius temporis substi-  
tuendos esse arbitror. Tunc sensus oritur hicce: Paullus,  
minister Iesu Messiae itemque selectus Apostolus, designa-  
tus ad tradendam salutarem illam, dudum per prophetas  
in libris sacris V. T. promissam doctrinam de eius filio,  
quem vulgus quidem seu ii, qui nondum ad Christi  
partes transierant nepotem gloriose Dauidicae gentis pu-  
tabant, et propterea ab eo insignia quaevis expectabant,  
Christianis vero meliori et perfectiori religionis cognitione  
imbutis, inde ex eius resurrectionis tempore, vt Dei filius  
honorifice et efficacissime declaratus est. — Quem sen-  
sum

sam habere locum posse, nec alienam a dicendi ratione Paullina, eiusque consilio dicendorum esse hanc quamdemus interpretationem, Lectores aequissimi intelligent. Attamen cum et haec explicatio difficultatibus quibusdam non carere videatur, profecto summae esset temeritatis et incuriae, si, quantum fieri possit, remouere illas, et argumentis idoneis corroborare hanc sententiam negligenter.

Ante omnia concilianda videtur nostra explicatio cum grammatices praeceptis ad quae primum in interpretatione respiciendum est. Igitur ex paraphrasi illa quam dedimus modo, pro se facile intelliget quisque, nos ellipsis post *κατὰ σάρκα* et *κατὰ πνεῦμα* sumere, verborum scilicet *κρίνειν*, *περιπατεῖν* vel *εἶναι* quae alias a Paullo iisdem verbis iunguntur e. c. capite VIII. v. 5. 6. 7. ubi passim inter se permutantur phrasēs *περιπατεῖν κατὰ σάρκα*, *περιπατεῖν κατὰ πνεῦμα* et *ὑπὲς ἐν σαρκὶ*, *κρίνειν κατ' ὄψιν* Actor. 4, 19. Tales vero ellipses in verbis substantiis apud Paulum minime esse inusitatas, ne longe abeas, exemplum evidens reperitur capite VIII. modo laudato versu quinto hoc: *οὐ κατὰ πνεῦμα τὰ τοῦ πνεύματος*. Plura exempla in hanc causam collegit Glassius in tractatu de Ellipsi. Verb. pag. 702. Sunt haec faciliora; maiorem difficultatem alia quaedam ellipsis, articuli nimirum quae assumenda erat h. l. creare omnino videtur. Namque si locus noster sensum habere debet eum, quem supra indicauimus, Apostolus fortasse dicere debuisset: *τοῖς κατὰ σάρκα* et *τοῖς κατὰ πνεῦμα ἀγόντα*. Negari non potest, hanc obiectio nem magnam habere speciem, non tamen ita comparata est, ut ad eam respondere nihil possim. Nam primo eorum, qui *κατὰ σάρκα* et *κατὰ πνεῦμα* nomine comprehenduntur, nondum facta erat mentio: si iam in praecedentibus de hominibus, qui vel recte vel perperam Christum dijudicant, fuisse sermo, maiori quodam iure arti-



articulus desideraretur; cum vero epistola demum incipiat, nec eius omissio nimium vrgenda videtur. Deinde satis constat, vt Glaffii verbis vtar, Graecos in vſu articuli ſibi magnam ſumere libertatem, adeo, vt nec paeceptis comprehendi poſſit. Exempli loco ſufficiat prouocaffe ad duo loca Matth. 27. 9. vbi ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια — ἀπὸ οὐῶν ἰσραὴλ quae ultima verba S. V. Rosenmüllerus recte per ellipsis articuli εἰ απὸ οὐῶν ἰſrāeλ exponenda eſſe arbitratur. Aliud exemplum extat apud eundem Matthaeum I. 11. Ibi dicitur ὥστες ἐγένησα τὸν ἵερον καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτῷ, ἐπὶ τῆς μετοκεστίας Βαθυλάως, hic rursus articulum ante ultima verba nimirum τὰς ἐπὶ τῆς μετοκεſtίας ſubſtituendum eſſe, quis non videt? Plura exempla qui velit noſſe adeat Glassium l. c. Ceterum ſenſus manet idem ſi ſubintelli- gere aliquis malit: πατὰ βελήν, σαρκός et πατὰ βε- λήν ſeu φρόνημα πνεύματος αγιωſuης.

Liceat ad alterum interpretationis noſtræ argumen- tum, loquendi vſum verborum ſingulorum loci lau- dati venire, breuique commentarye illuſtrare. Ante omnia dicendum videtur, quid ſit intelligendum per υἱὸν θεοῦ? Sane abuterer patientia lectorum beneuolorum ſi ex alto nimis eius ſignificationes repeterem, e. c. quibus in V. T. hoc no-men tribuatur; vnde haec denominatio traxerit originem; et qua ratione in vſum ſcriptorum N. T. transferit. Eſt hoc eoruin, qui ex iuſtitu- verborum vim indagant ſenſumque eruunt. Hic ſufficiat indicare tantum υἱὸν θεοῦ ſynonymum h. l. eſſe Χριſtū, quod post interpoſitionem aliquam, inferius statim in appoſitione iungitur. Ex quo patet, Apoſtolum nullum aliud niſi Mef- ſiam promiſſum h. l. intelligere per υἱὸν θεοῦ et fortalſe reſpicere ad loca quaedam veteris teſtamenti, in quibus de filio quodam Dei ferme eſt, et quae alias quoque ad

Chri-


Christum tanquam θεόν trahuntur r. g. Ps. II. 7.  
**אַהֲרֹן** כְּנֵי אֶתְהָ אֲנִי הוּא יְלַדְתִּיךְ et 2. Sam. 7. 14. **לוּ לְאָבָ וְהַוָּה יְהִי לִיכְזָן** Eum quidem sensum inesse his verbis vberius demonstrauit Koppius in Excurs. II. ad Galat. epist. in fronte paginae 94. Apponit Apostolus, τῷ γενομένῳ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ quod interpretati quidem sumus: qui putabatur proles Davidicae gentis, gloriose nimirum et nobilis. Si quis forte sit, qui nos temere hunc sensum tribuere verbo γεννᾶσθαι vel γενέσθαι dicat, et verbum quod de facto commemoratur, ad iudicia opinionesque aliorum transferri posse neget, hunc ablegamus ad Glassium, qui lib. III. tract. III. de verbis Canon. 17. hanc regulam definit: Res saepius dicuntur fieri, cum factae esse cognoscuntur. Exempli loco videatur Matth. V. 44. 45. καλῶς ποιεῖτε τὸς μισθυτῶν ὑμᾶς. — ὅπως γένησθε οὐδὲ τῷ πατρὶ ὑμῶν h. e. vt declaremini filii Dei. porro 2. Cor. VII. 14. ή ναύχησις ἡμῶν ή ἐπὶ Τίνες αλήθεα ἐγενήθη h. e. vera a vobis agnita et perfecta est. Deinde et verbum parallelum membra alterius: ὄρισθέντος hunc sensum commendare videtur, quod et ipsum declarandū habet. — κατὰ σάρκα secundum vulgus reddendum esse putauimus, neque hoc repugnante usu loquendi. Namque κατὰ saepenumero exprimere id, quod sit ex mente, voluntate et opinione alicuius ex locis aliis, e. c. 2. Cor. VII. 9. Rom. VIII. 1. patescit. Quae ritur tantum, num σαρξ notionem admittat talem, qualiter indicauimus: vix opus esse arbitror, vt eam nunc vberius eruam, quum Koppii incomparabilis diligentia in hoc significatu recte definiendo, otium mihi fecisse videatur. Apparet autem σαρκα in oppositione πνεύματος non solum denotare infirmitatem quamuis, sed in specie quoque omnes eos, qui a religione Christiana adhuc sunt alieni, qui rituum Mosaicorum ethnicorumque nimium tenaces

B sunt,

sunt, et καυχᾶσθαι κατὰ τὴν σάρκα i. e. rebus tan-tum externis gloriari, et sensibus tantum indulgere in religione, alibi a Paullo dicuntur. Vno verbo οἱ κατὰ σάρκα mihi videntur h. l. iidem esse, qui 1 Cor. σαρ-κινοί, i. e. infirmi, multis erroribus et praeiudiciis ra-tione Messiae eiusque regni, religionis, beneficiorum etc. infecti, vocantur. Hanc Iudeorum de Messia suo e gente Dauidica orituro expectationem magnam et fere superstitiosam, plura Euangelistarum loca confirmant. Sic exempli gratia Matth. IX. 27. coeci illi duo freti spe tali eum inclamat: ἐλέησον ἡμᾶς οὐδὲ Δαβὶδ. Idem auxilium magnum et praeclarum ab eo expectans mulier eum illa iisdem verbis implorat: ἐλέησον μὲν κύριε, οὐδὲ Δαβὶδ. Haec vero loca, cum Matth. XII. 23. collata eu-i dentiter satis docent: Iudeos eius temporis per οὐόν Δαβὶδ non solum Messiam venturum sed eundem quoque auro argentoque fulgentem et insigni pompa stipatum ex-pectasse.

Iam huic vulgi de Messia opinioni, quae rei chri-stianae eiusque incrementis magno detimento erat, alios, melioresque illos Christianorum spiritus sancti ope gaudientium, sensus opponit et opiniones: eorum scilicet, qui dignitatein Messianam non secundum caducam illam felicitatem splendoremque externum, sed ex iis potius rebus, quibus post tempora resurrectionis illustratus sit filius Dei, dijudicent et dimetiantur. Hoc membro secundo assertore videtur hunc in modum: κατὰ πνεῦμα [δὲ] ἀγιωσύ-νης [ἐπει] οὐδὲ δεῖσθεis ἐν δυνάμει, εἴ τις αντά-σεως νεκρῶν. — Ex iis, quae in praecedentibus monui-mus, et oppositione facile quemuis intellecturum esse arbitrор, nos κατὰ πνεῦμα ἀγιωσύνης accipere pro: κρι-νεσι. κατὰ πν. ἀγ. h. e. pro Christianis, qui meliori et firmiori cognitione Messiae imbuti sunt. Nos quidem cum sensum his verbis non temere tribuere cum Patrum anti-quiorum consensus, tum vero etiam usus loquendi in ora-tione

tione Paullina obuius, luculenter demonstrare videtur. Ac quod ad illorum auctoritatem attinet, vocem ἀγιωσύνης nunquam de perfectionibus div. et maiestate ea quae in Deo est, sed rectius de virtute et sensibus melioribus; quibus Deo auxiliante homines gaudent, rectissime interpretati sunt. Sic Oecumenius ad 2 Cor. VII. 1. η ἀγιωσύνη σωφροσύνη νοεῖται, καὶ παθαρέτης παντὸς πάθους. Theophylactus ad eundem locum ἀγιωσύνην interpretatur τὴν παθαρότητα, τὴν σωφροσύνην. Eodem quoque modo ad 1. Thess. III. 13. ἀγιωσύνη κυρίως λεγεται η σωφροσύνη. — παθοληπῶς δὲ πασα αἴρετη, ἀγιωσύνη. Quam vere et recte fecerint hoc, iam colligitur ex vi Etymi vocabuli ἀγιωσύνης, quod, cum derivetur ab actuo verbo ἀγιάζειν, nequaquam, quando de Deo dicitur, passiu: de maiestate div. hominibus conspicua, sed tantum actiu: de emendatione sensuum humnorum per Deum, intelligi potest. Hinc Aretius, interpres immerito obliuioni traditus, non male in Commentario epist. ad Rom. ad hunc locum pag. 13. haec verba exponit sic: Dicitur eleganter Spiritus sanctificationis, quia hos, quibus datur, sanctificat, hoc est: nouos animos, affectus inspirat alios, aliam mentem, quod est regenerare Deo consecrat et dedicat. Hic spiritus testatur, Christum esse filium Dei. Neque Lutheri, interpretis librorum sacrorum saepenumero felicissimi, versio vernacula abhorret: Nach dem Geist der da heilige. Quoties igitur ἀγιωσύνη etiam in aliis locis noui testamenti nominatim: 2. Cor. VII. 1. et 1. Thess. III. 13. occurrit, semper de virtutibus Christianorum dicitur, et Synonymum τῆς ἀγιωσύνης est, cui, si iungitur πνεῦμα, vt in illo 2. Thess. II. 14. idem est quod πνεῦμα ἀληθεῖας, vel πνεῦμα ἀγίου 1. Cor. XII. 8. insignior quedam rerum diuinarum intelligentia, sensus illi generosiores, qui erant in Christianis, Apostolis etc. Sic et



Teller im Wörterbuche: Huldigung mit dem Zusatze  
des Geistes, bedeutet das Christenthum.

Videndum nunc quoque est, num hic sensus quem tribuimus verbis: πνεῦμα ἀγιωσύνης, cum sequentibus commode conciliari possit. Coniungit autem Apostolus haec: ὁρισθέντος νίσ Θεός ἐν δυνάμει ἐξ ἀναστάσεως γενέσθων, quasi dicat: Hic Messias noster Christianis praesertim post eius resurrectionem e mortuis, gloriofissime Dei filius est declaratus et demonstratus. Quod primum ad verborum probationem attinet, ὁρισθέντος idem esse quod ποιηθέντος recte docuit Koppius. Similiter Syrus et Chrysostomus per synonyma δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κηρύχτεντος illustrant: sit igitur illis declaratus Dei filius. Iam in superioribus monuit Apostolus, Deum in libris V. T. edidisse oracula περὶ τῆς νίσ αὐτῆς. — Quareret fortasse quispiam cur ἀπὸ καινῆς repeatat statim ὁρισθέντος νίσ Θεός? Haud dubie propter emphasis quam addita voce ἐν δυνάμει aliquanto magis auget: nam respondet hebr. בְּנֵי כָּחַל בְּנֵי כָּחַל estque idem, quod graec. δυνατῶς, sensu hoc: Christianis vere et recte sentientibus gloriofiori grauiorique modo Dei filius seu Messias manifestatus est, scilicet quam illis, qui regni tantum terrestris instaurationem a virtute nepotis Dauidis expectarent. — Hoc quidem ἐξ ἀναστάσεως γενέσθων pro ἐξ ἐξ ἀνέση ἐκ γενέσθων. 2. Petr. II. 8. post tempus eius resurrectionis. Duplex potissimum causa subest, cur demum post redditum in vitam cultoribus suis ut verus Messias innotuerit. Primo enim per dona Spiritus S. extraordinaria simul quoque meliores sensus, uno verbo facultatem de Christo, eiusque religione rectius sentiendi, acceperunt, Ioh. XVI. 13. Deinde resurrectio Christi ipsa, ratione tam gloria et admirabili facta et a Christo ut signum legationis diuinae tam certum praedicta erat, Matth. XII. 39. 40. ut demum post vitae recuperationem inciperent palam eum habere pro Messia s. Dei filio. Act. II. 36. Ceterum, de facto resurrectionis

rectionis illo insigni et praeclaro in primis amicos Christi, nominatum Apostolos, futuros ecclesiae doctores factos esse certiores, fatis constat ex Act X. 41. ἐδωκεν αὐτὸν ἐμ-  
φανῆ γενέσθαι, καὶ πάντι τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι  
τοῖς προκεχειρούμενοις ὑπὸ τῆς θεός. Illud idem  
quoque Paulus 1. Timoth. III. 16. innuere mihi videtur,  
vbi de Christo dicit: ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, virtutes,  
dignitatem conspiciendam praebuit hominibus infirmis  
(conf. Grotius ad h. l.) ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι firmiori-  
bus, scilicet per dona Spiritus S. probatus est, nimurum  
esse Messiam talem, qualem se ante professus erat: ὁ Θεὸς  
αγγέλος apparuit legatis suis nempe post resurrectionem.  
Multum sine videtur hic locus ad illustrationem nostri loci  
facere, saltem ex eo appetet hoc: Declarationem illam,  
Iesum esse verum Messiam factam esse praeferunt discipulis  
et Apostolis eius, nec a sensu scriptorum N. T. in primis  
Pauli, adeo abhorre nostram opinionem, si per πνεῦμα αγιωσύνης intelligamus sensus et cogitationes  
meliores de dignitate Messiana quae prae ceteris, cultori-  
bus Christi veris, nominatum Apostolis innotuit et yberius  
declarata est.

Denique ultimum argumentum stabiendi senten-  
tiae caussa, addamus, quod quidem in serie orationis  
Paulinae inesse arbitramur. Professus erat apostolus in  
antegressis, sibi demandatam esse prouinciam tradendi  
doctrinam euangeli, igitur pergit sic: ὁ προεπιγγει-  
λατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτῷ ἐν γραφαῖς αὐτοῖς  
περὶ τῆς οὐρανῆς αὐτῷ Vix dubitari poterit haec Iudeo-  
rum caussa praemitti ab Apostolo, qui opinabantur, doctri-  
nam, quam ipse tradat, nimium abhorre ab iis, quae  
in V. T. nominatum de Messia proponantur. Ab hac  
autem inuidia se se liberare vult auctor epistolae, et hanc  
ipsam ob caussam affirmat, quicquid doceat de Messia,  
omnino consentire cum oraculis V. T. Iudeos vero  
pro-


ΑΙΓΑΙΟΝ

propterea tantum de veritate religionis christiana dubitare, quia in Messia solummodo splendorem externum quaesivissent, et tales maxime expectauissent, qui esset γενός μενος ἐν σπέρματος Δαβὶδ h. e. rex Iudeorum insignis opibusque pollens. Sed rectius et melius, affirmat porro, sentire de eo posse ac debere Apostolos et Christianos diuinatus eductos, quibus post resurrectionem eius dignitas Messiana melius nota facta fuisset. Quae cum ita sint, tanto magis sperat fore versu quinto, ut sibi tanquam diuinatus educto fidem habeant: δι' οὐ inquit, ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς Εθνεσιν. Profecto non tatis intelligo, quomodo descriptionem humanae et div. naturae Christi orationi inferere potuisset ei, in qua div. legationem suam nuncupare, fidemque sibi apud Romanos conciliare studebat. Nonne conuenientius eius cogitatorum seriei esset, assumere, per κατὰ σάρκα indicari eos, qui praeconceptis opinionibus de Messia, eius religioni minus fidem haberent, per κατὰ πνεῦμα αἴγαδος. autem intelligendos esse omnes, et idecirco Apostolum ipsum, quibus post redditum Christi in vitam occasio et facultas data sit de Messia eiusque religione rectius iudicandi, et idecirco etiam aliis eam tradendi latiusque propagandi. — Denique notatu dignum videtur et hoc: Apostolum in sequentibus, per maximam fere partem epistolæ diuersam plane conditionem eorum commemorare qui sint vere Christiani et eorum, qui sint adhuc alieni a Christo. Hinc, inde iam a commate duodecimo usque ad capitum primi finem, incipit docere: gentiles ante Christi tempora vitam degisse nefariam sed simul quoque miserrimam. Illud ipsum adeo de Iudeis inde a capite II. affirmare non dubitat, quippe qui vitiorum contagione, legum ceremonialium mole, superstitione et vana meritorum suorum spe freti, a felicitatis meta longissime aberrarint. Quare a principio capitum octauum videtur redire ad id, a quo exierat et concludere

sic:

sic: οὐδεν ἄρτα κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησῷ, μὴ κατὰ σάρκα περιπατώσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, porro versu quinto: οἱ κατὰ σάρκα ὄντες, τὰ τῆς σαρκὸς φρονεῖσιν, οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, τὰ τῆς πνεύματος. — τὸ φρόνημα τῆς σαρκός, θάνατος, τὸ δὲ φρόνημα τῆς πνεύματος, ζωὴ καὶ εἰρήνη, tandem in primis versu decimo quarto: ὅσοι πνεύματι θεοῖς ἀγονται, οὗτοι εἰσιν υἱοὶ θεοῦ. Ex his, similibusque locutionibus videtur patere: Apostolum per τοὺς κατὰ σάρκα intelligere omnes eos, qui peruerso de Christo sentiant; per τὰς κατὰ πνεῦμα ἄγι autem meliores illos Christianorum sensus et iudicia in rebus ad religionem pertinentibus, innuere. Praesertim verba vers. 14. ὅσοι πνεύματι θεοῖς ἀγονται, οὗτοι υἱοὶ θεοῦ, τέκνα θεοῦ, vel κληρονόμοι εἰσι, luculenter demonstrant, Apostolum contra peruersas Iudeorum de Messia opiniones disputare, siquidem illi ius hereditatis et fauorem peculiarem Dei erga se semper in ore habere et iactare solebant. Ceterum et in reliquis Paulli epistolis semper eandem inculcat sententiam, Christianos in religione non tam externam speciem et splendorem, quam momenta potius maiora illa, quae diuinam eius originem nuncupent, perpendere et magni aestimare debere.

Sed iam nolo Lectores, si quos forte nanciscar benevolos, coaceruandis argumentis pro sententia mea, diutius detinere, ne fortasse consilii mei, quod tantummodo in tentamine versari debebat, plane immemor esse videar: Sed nec Lectores hunc meum laborem tentaminis nomen prae se ferre tantum, velim obliuiscantur. Quare si futuri sint, qui hanc loci nostri explicandi rationem duriorem nec omnibus numeris absolutam vocitauerint, illi meminerint quæsio, me hanc viam sine duce et antesignano ingressum esse: tanto minus expectandum erat ut in semita saltem mihi noua, nescio an alii? quaevis impedi-  
menta



menta vno labore et quasi impetu remotierem; praesertim, cum muneris mei, quo iam fungor, talis ratio sit, vt eiusmodi laboribus tempus non aliud impendere possim, quam quod plerumque vacationi dari solet. Si tamen *Viri Doctissimi* quibus diaui hunc laborem, non plane indignum iudicent qui sub examen vocetur, et conatum ipsum doctissimo iudicio sustentare velint, profecto facient quod maxime in votis habeo, et quod grata mente lubenter praedicabo.

---

AB 728576



VD18

128576

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



### Farbkarte #13

# INTERPRETATIONIS


ROM. I. Vs. 3. 4.

NOVVM TENTAMEN

PROPONIT

M. CHRISTIANVS SAMVEL RÜGERVS

AD AEDEM S. MICHAELIS QVAE CIZAE EST DIAC.



LIPSIAE,  
LITTERIS SOMMERIANIS  
CICIOCCXC.